



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 15. Comes secundus. Dolor, & Patientia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

Dominus suos agnos alii committere, nisi illi, qui eum diligit; quos ipse tantum dilexit ut pro eis mori dignaretur. S. Euseb. Emiss. in Natali S. Petri. Nihil amanti ardentius charius potuit committere, quam illud, propter quod exinaniti voluit, & mori. S. Laur. Just. de casto connub. c. 12. Pascere ergo verbò, pascere exemplò, pascere temporali subsidio, probatio est dilectionis. Hugo Card. in Pl. 73. Quà mente is, qui proximis profuturus entesceret, utilitati cæterorum secretum proponit suum; quando ipse summi Patris unigenitus, ut multis prodesset, de sinu Patris egressus est ad publicum nostrum. S. Greg. lib. pastor. curæ c. 5.

*Mandatam habemus à Deo, ut, qui diligit Deum, diligat & fratrem.* 1. Jo. 4. 21.

### Ex Patribus.

Ad hoc solum Deus nobis per totam Scripturam loquitur: ut nos ad suum, & proximi, amorem trahat. S. Gregor. hom. 10. in c. 3. Ezechielis.

Qui hominem amat fidelem, simile est, sicut qui Deum amat; quia imago Dei est homo.

Sicut rex in sua imagine vel honoratur, vel contemnitur; sic & Deus in homine, vel diligitur, vel oditur. Non potest hominem odire, qui Deum amat; nec potest Deum amare, qui hominem odit. S. Chrysost. hom. 26. in Matthæ 22.

Nèque profus alia res est, quæ perinde declararet doceatque; quis sit fidelis, & amans Christi; quam si fratrum curam gerat, proque illorum salute gerat sollicitum S. Chrysost. orat. de B. Philogonio. Si charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, mox profectò generat & proximi dilectionem; unde propter geminum charitatis ardorem, bis Spiritus Sanctus legitur datus Apostolis. V. Beda in act. 2.

Mundus est sphaera, cujus centrum Deus; linea verò, quæ à centro in circumferentia decurrunt, homines sunt inter se; & quò magis à centro, magis inter se quòque distant. Ità homines, quò magis per amorem Deo conjunguntur, magis etiam inter se copulantur. S. Dorotheus doct. 6.

Spiritus S. bis datus memoratur, dum semel in terra, semel de coelo, datur. In terra datur spiritus, ut diligatur proximus; de coelo datur Spiritus, ut diligatur Deus S. Honorius Augustodun. serm. in die Pent.

### §. XV.

### Amoris Comes secundus Dolor, & Patientia.

#### Num. I.

#### Figura.

*Per Aurum.* quòd Ex. 28. 5. assumitur ad ornatum Pontificis, jam charitas, jam patientia designatur: quia utraque sine altera languet, & friget. Did. de Castillo Ill. 43.

*Axa Calebi filia Jol. 15. 18.* se parum diligit *Polyanthea sacra.*

lectam à patre queritur; quippe qui non irriguam, ac amenam, hæreditatem concesserit; sed arentem, & ad speciem vilem. Et cur ita pater fecit? non cuius, sed strenuo, victori, triumphis coronato, eam in matrimonium dedit; qui percussit *Carat - S. phar &c. v. 16.* Tellurem autem arentem dedit: ut ostenderet, verum amorem plus cogitare de triumphis, quam de temporalibus commodis. Naxera in Josue 15. §. 41.

*Fortis ut mors dilectio &c.* Cant. 8. 6. Æmulatio hæc est constans, & sollicita, imitatio Christi dilecti. Sed cur ea non potius celestibus deliciis, quam durissimo inferno comparatur? quia non satis probaretur; nisi per tormenta similia infernis. Balduinus hic: si tu per æmulationis studium volens me imitari, te senseris gravari, & quasi in Inferno cruciari; hoc est, quòd à te exigo; hoc est, quòd desidero; hoc est, quòd consulo: ut ad modicum crucieris; quasi in Inferno; nè sine fine crucieris in eo. Ramirez, in ep. 6.

#### Num. II.

#### Testimonia

### Ex Veteri, & Novo.

*Tange os ejus, & carnem.* Job. 2. 5. Nullum fortius, evidentiusque testimonium amoris est, quam tammum propter amicum. Unde nihil satis fuit diabolo, ut crederet, quòd Job Deum diligeret, nisi ipse sanctus vir in seipso, in carne sua aliquid pateretur. Philipp Diez. ut. Contemplat. vitæ Christi.

*Conjungere Deo, & sustine.* Eccl. 2. 3. Conjungere Deo per amorem; & sustine. Et quidem aliqui per *li sustine*, patientiam intelligunt; quia id melius nobis vix comparabimus, quam Deum amando; ejusque amorem, quem præcipue in sua morte ostendit, contemplan-do. Octav. de Tuffia hic.

*Beati, qui persecutionem patiuntur.* Matth. 5. 10. hæc qui assequi cupit, amet oportet, idque ardentissimè. Qui amat, meminerit oportet; militiæ speciem esse amorem. Isidorus Clarius 2. or. 26.

*Dolentes, quærebamus te.* Luc. 2. 48. quæserunt utique cum dolore; quem ardentè dilexerunt. Dolor itaque amoris indicium est; & inquisitionis stimulus. S. Laur. Just. de casto connub. c. 15.

*Imposit in humeros suos gaudens.* Ltic. 15. 5. Basil. Seleuc. gaudet ipsa fatigatione; ovis inventionem ratus lassitudinis esse levamentum. Ex Henrico Sufone Surtius: quisquis amori dat operam; idem ipse Martyr est. Amoris ea antiqua; lex, & conditio est; ut amantes patiantur adversa. Escobar tr. 3. l. 3. Obs. 1.

*Jesus ergo fatigatus ex itinere.* Jo. 4. 6. fatigatur, quia ad dilectam animam Samaritanæ properabat: nec enim verè probare se potest amantem, qui non patitur. Id. ib.

*Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? &c.* Rom. 8. 35. quia propter te *mortis*

*mortificamur tota die* v. 36. Cur tota die mortificatione afficeris? quia tota die amo. Id. ib.

*Charitas pascens est.* 1. Cor. 13. 4. Dilectio summum fidei sacramentum, Christiani nominis thesaurus; quam Apostolus totis viribus Spiritus Sancti commendat, cujus, nisi patientiæ disciplinæ eruditur? Tertull. lib. de patientiâ. Incipit charitatem commendare à patientiâ; & egiâ ejus finit in eadem virtute; quasi perfectio charitatis à patientiâ incipiat, & in ea perficiatur. Did. del. Castillo Illat. 42.

*Charitas pascens est omnia sustinet.* ib. Ejus egiâ inchoat, & terminat patientiâ: quia à patientiâ totam vim suam obtinet; ipsâque munitur, & defenditur. Sylv. in Apoc. c. 2. q. 2. S. Cypr. de bono patientiæ: tolle charitati patientiam, & desolata non durat: tolle sustinendi, tolerandique substantiam, & nullis radicibus perseverat. Apostolus denique, cum de charitate loquitur, tolerantiam illi, & patientiam injunxit 1. Cor. 13.

*Nondum usque ad sanguinem resististis.* Hebr. 12. 4. necdum manifesta indicia vestri amoris exhibuistis; cum adhuc nihil propter amicum passi estis. Multa quidem, & maxima beneficia à divina Bonitate homo acceperat, quæ testimonium dabant divini in illum amoris. Sed hæc quid impendit, aut laboris dederunt? *ipse dixit, & facta sunt.* præter verba nullos alios sumptus fecit. At postquam, mortali nostrâ carne indutus, dolores, & patibulum tulit, & à planta pedis, usque ad verticem capitis, percussus est; jam majora testimonia homo acceperat divini amoris. Philipp. Diez. tit. Contemplatio vitæ Christi.

### Ex Patribus, & aliis.

Nihil est, quod non toleret, qui perfectè diligit. Plura autem quando non toleramus, certum, quòd ob hoc, quia charitatem, quæ omnia tolerat, non habemus. Orig. hom. 1. in Cant.

Quantò major est in Sanctis Charitas Dei, tantò magis pro eo, quod diligitur, omnia tolerantur. Ac per hoc inde est patientiâ vera iustorum, unde est in eis charitas Dei. S. Aug. l. de pat. c. 17.

Amoris exhibitio crucis communio est. S. Basil. Seleuc. ferm. in transfig. Dom.

Generosâ, ac Deum amantis animæ officium est; afflictiones, & adversitates, ferre. S. Chrysof. tom. 6. f. 3. de Verb. Apost.

Nunquam sine patientiæ exercitiò esse charitas solet, & qualis sit, ostendat patientiâ. S. Laur. Just. de casto connub. c. 18.

Nullus perfectò amoris carmen veraciter tenet, qui in lamentationis libro non fuerit eruditus. Id. de triumph. ag. c. 14.

Amor absque cruce, & crux absque amore; nec ratione, nec verbo, nec opere, meretur aliquam laudem. S. Bern. Sen. tom. 2. f. 56.

Tantò quisque magis amare offenditur, quantò plura, & graviora, pro amico pati non refugit. S. Thom. opusc. 9. c. 43. tr. 2.

Num. III.

### Amor Cruce, & adversis, delectatur.

*Ignis voravit pluviam quòq, & aquam. Ignis lambens aquam.* 3. Reg. 18. 38. Lambere autem proprium est linguæ ea, quæ sibi dulcia sunt, & lapida lingentis, & degustantis. Sic linguæ illæ igneæ amaras tribulationum aquas lambebant, inundationem maris, sicut lac fugentes. de Ponte in Cant. 2. Eph. 32. §. 3.

*Stipate me malis.* Cant. 2. 5. quasi dicat: Domine, da mihi labores, & persecutiones. Ex Concept. Divini amor. S. Theresæ c. 7.

*Duabus velabant faciem ejus.* Il. 6. 2. Cur hi Seraphini senis quisque alis ornatis, non volant alis supremis, nec infimis, sed mediis tantum? quia hæc pectori proximiores. Clem. Alex. pectus est habitaculum cordis, & animæ. Nimirum alæ illæ non oriabantur; sed laborabant, quæ amoris folio sunt viciniore. Et sic ex illis figuratur crucis simulachrum, quod patiendi erat signum manifestum, ut notavit S. Hier. l. 9. ferm. de nat. Dom. Aves quòque ipsæ, quando in sublimiora tolluntur, & pendunt per aerem, extensis alis imitantur crucem. Seraphim ardentem amorem præferunt: ut ergo muneri suo satisfaciunt, formam affectant patiendi: nam, si solum amarent sine affectu patiendi, remissius testarentur amorem: Did. del. Castill. Illat. 43.

Num. IV.

### Amor adversis non læditur, sed juvatur.

*Botrus Cypri dilectus meus mihi.* Cant. 1. 13. Agathius legit: racemus camphoræ dilectus meus. Camphora genus est arboris aromaticæ, quæ vites amulatur, fertque botros non multum vis absimiles. Et quod mirandum: hic camphoræ partus, si ignem conceperit, eâ ardet pertinaciâ; ut in aquam missus non tantum non extinguatur, sed incendium suum sic nutrit; ac si merò natet oleò. Hier. Drexelius rosæ select. p. 2. c. 7. §. 3.

*Percusserunt me, & vulneraverunt me.* Cant. 5. 7. Exarsit inde in amore dilecti validitudo: v. 8. *ut numeretis ei, quia amore langueo.* Addit laudes dilecti, licet eam pulsari, & vulnerari passus: *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* Luc. de Velloso in Judith 7. parænet. 24. Mens Deo pia, adversis tacta canit.

*Dabitur vobis in illa hora, quid loquamini.* Math. 10. 19. Tot anni, & dies, in carceribus, una hora vocantur. Amore tempora abbreviantur, & in compendium horæ rediguntur. Sylv. in Jo. 13. c. 5. q. 3.

*Simon Petrus cum audisset, quia Dominus est, tunicâ succinxit se.* Jo. 21. 7. S. Laur. Just. de triumph. Christi agone c. 27. Tali tunicâ si præcinctus fueris, amore ignitò in

in tribulationum undas ingredi non expavesca; ut ad præceptorem tuum stantem in littore valeas properare. Nequaquam patieris naufragium, pallio charitatis operatus. Escob. tr. 3. l. 4. sect. 1. obs. 2.

*Apparuerunt illis dispersa lingua act.*  
2. 3. Cur? S. Cyrill. Jerofo. catech. 17. Ignis portendit tribulationem magnam, & multiplice m, quam passuri erant Apostoli, & Fideles; sed superaturi per ignem amoris divini; que in idcirco hic eis dedit Spiritus Sanctus Sylv. hic. q. 6.

Merito Hebræi pueri in fornace ardenti non sentiebant ignis incendia, quia charitatis eos flamma refrigerabat. S. Ambr. l. de Isaac, & anima c. 8.

Amor facit pœnas contemneret, & ipsam mortem appetere; mō facit quasi non sentire. Unde similis est mandragoræ, cujus cortex in vino decoctus bibentem ad omnes dolores insensibilem reddit. S. Bonav. l. 2. de pluribus Confess.

Genius vestem vulnerando facit pulchriorem. Lem. *facit patientia pulchrum, dilectumq, magis.* Picinelli.

## Num. V.

*Amor in adversis perfectior; imperfectus in prosperis.*

*In terra deserta, in via, & in aquosa; sic in sancto apparui tibi. Ps. 62. 3.* Euthymius: sensus est, quod tunc in tabernaculo, & nunc in deserto, æqualem erga Deum affectionem, & benevolentiam, conservavit. Mendoza in l. 1. Reg.

*Bona, & mala, à Deo sunt. Eccli. 11. 14.* Purior est, Dei amor in adversis, quam prosperis, quia in cruce nihil habet amor carnalis, vel sensualis; uti habebat in deliciis. Christus æquè dilexit Deum in monte Calvarie, ac in monte Thabor. Quocirca piè S. Greg. Naz. ep. 63. gratias ago, ait, ut in lætis rebus, ita etiam in acerbis: quia exploratum habeo, nihil rerum nostrarum apud summam rationem expers esse rationis. Sicut in thermis ex uno latere videmus ebullire aquam calidissimam, ex alio frigidissimam; quæ in thermis commixtæ temperatum, & salutare efficiunt balneum: sic in hisce Mundi thermis certissimus emanare à Deo læta, & tristia. Corn. à Lap. hic.

Eris insulsus puer in domo patris, amans patrem, si tibi blandiatur; & odio habens quando te flagellat, quasi non & blandiens, & flagellans, hæreditatem parat. S. Aug. in Ps. 32.

Scito, certum iudicium in verissimi amoris esse, si æquè Deum diligis, dum se asperum exhibet; sive dum se præbet suavem. Lud. Blofius Sacello animæ fidelis §. 3.

Maximæ dilectionis est, non patienter mori, sed patienter vivere, in hoc sæculo plenè peccatis; & voluntatem sequi Creatoris cuncta benè disponentis; dum non citò exauditur cupiens dissolvi, desiderans ab hac valle lacrymarum migrare ad gaudium visionis Dei. S. Rupertus lib. 12. in Marth.

Quid grande est, si tunc diligas Dominum Deum tuum, cum tibi abundant omnia; cum

frueris optatis; cum honoribus, facultatibus, liberis gaudes. S. Ambr. in Ps. 1.

Hoc fideium fervorem est, hoc constantiæ, hoc pietatis; quali in Dominum affectu esse debemus: ut non solum, cum clementer nobiscum agit; verum etiam cum indignatur, cum flagellat ad eum percurramus &c. S. Chryst. hom. 34. in Joan.

Venit ad te Deus cum auro, & argento, cum sanitate, cum honorificentia, cum quiete à tentationibus intus & foris: recipis eum, laudas, gratias agis. Dubium mihi est, si munera Dei, non Deum diligis. Venit Deus incomitatus his, sed cum paupertate, ægritudine, tribulatione &c. si perlas in amore, si in gratiarum actione; modò opus amicitie perfectum ad Deum ostendis; quando nec dolore, nec inopiâ, pressus discedis ab ejus amore. Jo. Gerson l. 3.

Complures certè non sibi placent in Divino amore; nisi quatenus conditus est saccharò alicujus suavitatis. Unde tales facerent libenter, uti infantes faciunt; qui quando eis datur mel super panem; fugunt mel, & panem abijciunt. S. Fraac. Salef. l. 9. c. 10.

Quidam suaviter diligunt Deum, quibus scilicet suavis est recordatio, & memoria, de Deo; sed nondum diligunt sapienter, quia non diligunt propter se, sed propter bona, quæ dat eis. Petr. blef. l. 23. de S. Magd.

## §. XVI.

*Amoris comes tertius Humilitas.*

*Symbola.*

*Nardus mea dedit odorem suum. Cant. 1. 11.* Est nardus humilis herba, quam & calidæ ferunt esse naturæ. Et ideo per hanc video mihi non inconvenienter hæc locò virtutem humilitatis accipere; sed quæ sanctis amoris vaporibus flagret. S. Bern. l. 42. in Cant.

*Ignis.* Ignis in pulverem redigit. idem agit charitas. *Loquar ad Dominum, cum sim pulvis, & cinis.* Gen. 18. 27. S. Laur. Just. de charit. c. 3. Ignis in cinere melius conservatur, & crescit; hic amor in humilitate custoditur, & juvenescit. S. Bern. Sen. tom. 2. f. 5. Ignis cœlestis semper descendit; ignis verò noster semper sursum tendit: sic amor cœlestis humilis; mundanus superbus. Beregavius Ep. in similitudin.

*Phoenix.* Symbolum humilitatis. quæ oritur ex amore divino, quò accensa se in holocaustum offert, & se in cineres redigit. Lud. de Ponte in Cant. Exhort. 10. §. 2.

*Testimonia.*

*Ex Veteri, & Novo.*

*Et nudatus est &c.* 2. Reg. 6. 10. Michol erat filia Saulis, & uxor Regis David; unde indignum putabat regiâ suâ, & Davidis, majestate, quod saltaret ante arcam. Nesciebat ipsa, ait Theodoretus, Divini amoris stimulos; qui magnos etiam ad parva excitant. Corn. à Lap. hic. Amor, cum ingreditur in alicujus cor, efficit, ut